SERVASANCTUS TUSCUS DE FAENZA
Italien (?), 3. Viertel 15. Jh. Seite 97v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8408
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



.L.

est natura delectissima et est natura virtuosissima
Primo quia inter corporalia sicut gratia inter spiritualia
est summe accidencia et sine resistencia usque
ad rerum intima penetrativa Unde lux pene
trat usque ad terre intima et gracia usque ad hu
mana precordia. Secundo lux est rerum generativa
Sicut de sole dictum est supra. Tercio est contrariorum
generativa conciliativa et hoc exemplificatum
supra. Quarto est sui luminis cunctis comicativa quia gra
cia omnibus se offert quantum in se est. Quinto est devi
ancium sive errancium indicativa sive directiva
Quod aperte facit hec gracia que est ad semitam iustitie
reductiva. Sexto est frigidorum inflamativa
Sicut explanatum est de sole. Septimo est debilium
confortativa Unde multum confirmantur infirmi
dum audiunt diem fieri et similiter nocte gravati
plurimum confortantur divine gratie visitati. Octa
vo est grossorum subtiliativa Unde aerem subtiliat
sicut gracia divites expoliat quos movet ade
lemosinas dandas. Nono est durorum liquefactiva
sicut patet in cera et in aqua congelata Sic gracia
dissolvit ad misericordiam corda dura. Decimo
est vite corporalis et permanencium regitiva Sic
et gratia vite spiritualis est deductiva. Undecimo
est occultorum manifestativa quia spiritualis gracia
igitur omnia facit manifestare peccata que prius e
rant occulta posset dici per alia verba quod lux corpora
sicut gracia spiritualiter Primo tenebras pellit
Secundo merores dissolvit sive leticiam tribuit Ter
cio in sidias prodit. Quarto securitatem parit quia
qui ambulat in die pedem ad petram non per
cutit. Quinto visum pascit et illi quandam iocun
ditatem inducit. Sexto rebus omnibus pulchritudinem
tribuit et quid sint apparere facit quia qualis unus
quisque apud se lateat et quanta pulchritudine
clareat gratia fortitudinis in adversis hoc probat.